



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt. LXV. Malè sepultorum exempla.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

CAPVT LXV.

Malè sepulcrorum exempla.

Rorrò cur bonis mala subinde sepulchra, vel nulla contingat, aut quid illis noceat, postea discutiemus. Nunc malis vel nullam, vel malam sepulturam contingere haud immeritò, ostendemus. Nulla còntigit vxori Lot. Causam & Scriptura, & Iosephus indicat: *Vxor Lot, inquit, cùm respiceret saepe civitatem, & eius curam haberet, interdicante Domino, ne faceret, in statuum salis conuersa dignoscitur. Vidi siquidem eam: hactenus enim manet.* Nimirum ipsa sibi monumentum est, aliud non habet. Nam & in Scripturis anonyma est. At cur in statuam salis conuersa est? Vt pœna peccato corresponderet, & in quo peccauerat, in eo etiam puniretur. Nam si Hebræis à Lyrano relatis credimus, fuit mulier illa non modò curiosa, sed etiam inhospitalis. Dicitur enim, vespere præcedente, marito suo, ad condiendos pro Angelis cibos, sal porrigere noluisse, quòd instar ciuium Sodomiticorum, erga peregrinos malè affecta esset. Ne ergo illi insulsa femine sal deesset, ipsa est in salem commutata. Sed quidquid sit de hac Hebræorum narratione, inobedientia, & curiosus illius respectus, sufficiebant ad eam sepultura priuandam. Simili priuationis pœna punitus legitur impius Iason, qui multos de patria sua expulerat, peregrè perijt, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: & qui in sepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abicitur, sepultura neq; peregrinà vsus, neq; patrio sepulchro participans. Vbi vides legem talionis, etiam illis filijs metuendam, qui parcitate quadam dementati, paterni, vel materni funeris sumptus, quantum possunt, contrahunt; digni vtique vt illis paria ab hæredibus suis referantur. Sunt in diuinis libris complura eiusmodi exempla. Siquidem & quinq; reges Amorrhæi insepulti abjecti sunt: David amputatum Palæstini gigantis caput Hierosolymam inculit, corpus eius volueribus & feris dilaniandum reliquit, iusta talione. Quippe, sicut Philisthæus dixit ad David: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cali, & bestijs terra;* ita respondit David: *Dabit te Dominus in manu mea, & percussiam te,*

I.
Gen. 19.
Luc. 17.
Ioseph. lib. x.
Antiquit. Iudaic. cap. 19.

2. Machab. 5.

Ios. 10.
1. Reg. 17. 46.

Vvvv & aufe-

& auferam caput tuum à te: & dabo cadauera castrorum Philistinorum
 hodie volatilibus cali, & bestijs terra: ut sciat omnis terra, quia est
 Deus Israël. Idem contigit Achab regis impiæ uxori Iezabel,
 4. Reg. 9. 33. quam mandato Iehu de fenestra precipitauerunt, aspersusq; est
 sanguine paries, & equorum ungula conculcauerunt eam. Cumq;
 introgressus esset, ut comederet, biberetq;, ait: Ite, & videte maledi-
 ctam illam, & sepelite eam: quia filia regis est. Cumq; issent, ut sepe-
 lissent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas ma-
 nus. Reuersiq;, nuntiauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est,
 quem locutus est, per seruum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro
 Iezabel comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut
 steruus super faciem terra in agro Iezabel; ita ut praterentes dicant:
 Hæcine est illa Iezabel? Cuius enim anima tricipiti Cerbero de-
 bebatur, rectissime etiam carnes famelici venatorum molossi
 deuorauerunt. Non apponam, quæ de Ioachim rege à Nabu-
 chodonosor capto, occiso, & ante muros Ierosolymitanos in-
 sepulto abjecto, deq; Arrano & Iehu Pontificibus à Zelotarum
 manu interfectis, ac sine tumulo relictis Iosephus refert; &
 nec quæ de Bessi Bactrianorum præfecti corpore à Darij regis
 consanguineis conciso fundisque hinc inde dissipato memoran-
 tur: nec quæ leguntur de Aristocrate Arcadum rege, extra fines
 itidem insepulto, rejecto; nec quæ de Cleomene pelle nudato,
 & cruci affixo, apud Plutarchum aliosq;, legatur. Quid mi-
 rum est, si in eorum corpora sæuitum est post mortem, qui viui
 in vivos sæuerunt? Quis non dicat Ioannem Leidensem Ana-
 baptistarum regem meruisse, ut caueæ ferreæ vice feretri im-
 situs suspenderetur? Si homines indignum pomposo funere ho-
 norant, adest Deus, & corrigit funeris rationem.

II. Narrat Hieronymus de Florentia in vita P. Caspari San-
 chez, nobilem Hispanum sine poenitentia defunctum, hominem
 prædiuitem, elatum domo magnâ pompâ, ingenti comitantium
 caterua. Dixisset triumphum victori institutum; sed non diu
 duraturum. Exorta est enim repente, dum proceditur, tam sæua
 & atrox tempestas, ut in funus prodeuntes necesse esset omnes
 dissipari, & quâ quisque proximè posset, sub tecta se recipere.
 Ob intolerabilem autem cadaueris foetorem res moram non-
 patiebatur.

Ioseph. li. 10.
 Antiq. cap. 8.
 & lib. 5. de
 bell. Iudaic.
 cap. 1. & 2.

P. Hieronymus
 de Florentia
 in vit. P. Ca-
 spari Sanchez.
 c. 13. Pag. 12.

patiebatur. Capulum itaque duo vel tres vilissimi homunciones-
 fanibus tractum in sacello ad id extracto deposuerunt. Quibus
 vix inde digressis, fulmen de celo cecidit, combussitque primùm
 maiorum insignia, per parietes vndique suspensa, tum ipsum
 etiam cadauer, relictis solis ossibus Auernali fuligine inductis,
 in cinerem redegit. Quid prodest tantâ pompâ ad infernum
 properare, si cadauer effertur, nec sepulchro quidem & vermi-
 bus dignum? Plerumque etiam à dæmone, inter blasphemand-
 um, aut alia scelera abrepti, insepulti manent, postquam eos
 malus spiritus in scopulos, aut solitudines abiecit, indignos,
 quos terra tegat, & in sinum suum recipiat.

Eiuscemodi pœnam, aut certè infame sepulchrum se pro-
 mereri, quidam ipsâ vitâ suâ testantur, inter quos fuit ille, qui
nullo non se extulit die, ille, inquam, nominatus Pacuuius, qui Sy-
 riam vsu suam fecit, cùm vino, & illis funereis epulis se sepelif-
 set, quasi sibi parentaret. Sic enim in cubiculum ferebatur à
 cœna, vt interplausus exoletorum hoc ad symphoniam caner-
 retur: *Belioris, Belioris*. Quàm multi quotidie vino semet ipsos,
 & alios sepehunt, vt sepeliant conscientiam latrantem? Sed fru-
 stra, reuiuiscit enim iste canis latrans, quoties crapulam edor-
 mierunt. Alij vel ipsi sepulchro suo epitaphium imponunt, vel
 ab alijs impositum ferunt, quo eorum facinora & produntur,
 & iustissimè puniuntur. Notissima est epigraphe Sardanapali.
 Vulgò ab ipsis etiam potatoribus iactatur illud vini probi aman-
 tis elogium: *Propter Est, Est, meus dominus mortuus est*. Crebrò
 etiam citatur illud: *Hic N. QUIESCIT, QUI IN VITA SUA*

NUMQUAM QUIESCERE POTUIT. Rauennatis etiam cuiusdam
 libidinosisimæ feminae monumentum Rauennæ conspicitur
 cū tali inscriptione. *F. I. DICAT, CINERES ET OSSA LAODICEÆ*
PHILOCAPTÆ HIC SITA SVNT, PERPETVÆ MEMORIÆ FACTI,
ET INFAMIÆ CAVSSA. QVÆ INSATIABILI VENERE EXHAV-
STA SVBTER VIVO VIRO MORTVA EST. VIXIT ANN. XXIII.
MENSES VIII. DIES III. INFELICISSIMI PARENTES, TACITO
NOMINE, EXTRA SORTEM; AD RVDERA POSVERE. O VORA-
GINEM EXVRIENTEM! Hæc Epitaphia alij alijs scripserunt.
 Videamus nunc nouum Sardanapalum, animulæ suæ vagulæ,
 VVVV 2 blandu-

III.

Philip. Ca-
 merar. Cen-
 tur. i. horar.
 subsecinar.
 cap. 96.

blandulæ, ad ignota loca abeunti vaticinantem. Æneas Syluius recenset hanc historiam: Comes Celerix amore scorti furens uxorem suam vitâ priuarat. Quo patrato scelere, tantis deinceps tenebris fuit inuolutus, vt nullam prorsus amplius rerum diuinarum humanarumque duceret rationem. Ad extremum, vt semper in peius proficiunt scelerati, eò dementiæ ruit, vt infamem, etiam nonagenarius, vitam ageret inter meretrices. Hunc vt Alphonfus ad meliorem frugem reduceret, captata opportunitate, ita est affatus: *Audi senex, tempus est, vt in tam grandi arate, te moriturum esse cogites, & de sepulchro agas. Cui Comes responsum dedit, quod à Christiano non expectasses, sed à desperatissimo parricida. Dixit enim, se de sepulchro vtique cogitare, iussisse enim se, vt sepulchro suo marmoreo inscriberetur: HÆC MIMI PORTA AD INFEROS. QUID ILLIC REPERTVRVS SIM, NESCIO. HOC SCIO, EX HIS, QUÆ RELIQVI, NIHIL ME MERCVM TVLISSE: NEQVE QVOD EDI, BIBI, QVODQVE INEXHABITA VOLVPTAS ABSVMP SIT, QVIDQVAM PERCIPERE.* Tali elogio, qui sepulchrum viuens ipse honorat, an non dignus est, quo se dignum ipse iudicauit? Immo an non & DEVS meritò eiusmodi hominibus ignominix apponit monumentum? Sicut apposuit Canonico illi, qui fusili are, in sepulchrali lapide, iusserat exprimi effigiem sui, ante Christi crucifixi imaginem genua flectentis, atque ex ore hæc verba fundentis: MISERERE MEI DEVS. Altero enim post eum sepulcrum die, ceteris omnibus deletis, solum initium relictum est istorum verborum, MISER, quasi ipse ore suo, suam miseriam fateri cogeretur, quam eum meruisse, sciuerant, quicumque vitam eius non ignorabant. Femina quoque tale ad tumulum Deus apposuit monumentum.

Virgil. lib. 2.
Æneid.
Fortunat. Ep.
in vita S. Marcelli apud Zachar. Lip. pel. 1. Nouemb.

Sicut enim quondam scelus expendisse merentem

Laocoonta ferunt,

ita de nobili quadam matrona, in vita S. Marcelli Parisiensis Episcopi narratur, qua per omnem ferè vitam nefaria libidinis contagione turpiter polluta, tandem obnoxia crimini è vita excessit, cuius cadaver in tumulum illatum serpens immanissimus frequentare cepit: credo vt quam viuentem in crimen pertraxerat, mortuam etiam suâ sanitiâ penitus depasceret. Hoc cognito, Beatus Marcellus cum serpente pugnat-

gnaturus ad locum accessit: cumq; coluber de silua ad tumulum, obuia Marcello, rediret, cepit supplici capite & blandiente cauda veniam precari. Tunc vir sanctus, baculo caput eius ter percutiens, belluam recedere iussit. Ille sanctissimi viri imperio nequaquam resistere ausus fugam cepit, quem populus, precedente pontifice, tribus ferè millibus secutus est. Deinde acriore increpatione adhibita: Ab hac, inquit, die, aut deserta tene, aut in mare te demergito: moxq; dimissa bellua euauit, & populum incredibili gaudio exultantem, & Domino laudes concinentem reliquit. Nempe spiritus seductor, antiqua arte, exuuiis serpentis rursus induit, & cuius animam tenebat, in Acheronte alligatam, illius etiam corpus volebat possidere, egregius sepulchri custos.

Paulò grauiùs punita est altera femina, de qua apud Cæsari-
sarium quidam ita loquitur: Dicam vobis rem terribilem, qua meis
temporibus in mea villa contigit: Erat ibi puella quadam bene nata,
& diuitem filia, sed ita iracunda, ita contentiosa, atq; clamosa, ut ubi-
cumq; esset, siue in domo, siue in Ecclesia, ibi rixas suscitaret, & bea-
tum se iudicaret, qui euadere posset flagellum lingue illius: tandem
defuncta est, & in atrio Ecclesie sepulta. Manè venientes ad Eccle-
siam, vidimus tumbam eius, ad instar fornacis, fumum eructantem:
unde exterriti, & videre volentes, quid hoc portenderet, terram eje-
cimus, & ecce, medietatem corporis superiorem ignis consumpserat,
inferior verò pars ab umbilico & deinceps illasa apparuit. Luculen-
tum scilicet indicium Deus in eiusmodi sepulchris ostendit,
quid tales meruerint sepulti. Cuius rei etiam D. Gregorius hoc
exemplum narrat. Terribile etiam quiddam in Valeria Provincia
contigisse, vir vita venerabilis Maximianus Syracusanus Episcopus,
qui diu in hac vrbe meo monasterio prafuit, narrare consuevit, dicens:
Quidam Curialis illic sacratissimo Paschali Sabbato iuenculam
cuiusdam filiam in baptismo suscepit. Qui post ieiunium domum re-
uersus, multoq; vino inebriatus, eandem filiam suam secum manere
petiit, eamq; nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cumq; facto ma-
nè surrexisset, reus cogitare cepit, ut ad balneum pergeret, ac si aqua
balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cepitq; trepi-
dans Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad Ecclesiam, eru-
bescebat homines: si verò iret, pertimescebat iudicium DEI. Vicit

IV.

Cæsaris l. 4.
cap. 22.S. Gregorius
lib. 4. Dial.
cap. 32.

itaq; humana verecundia, perrexit ad Ecclesiam: sed tremebundus ac pauens stare cepit, atq; per singula momenta suspectus, quâ horâ immâdo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumq; vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi aduersi nihil contigit. Qui latius exijt, & die altero Ecclesiam jam securus intrauit. Factumq; est, ut per sex continuos dies latius ac securus procederet, aestimans quod eius scelus Dominus aut non vidisset aut visum misericorditer auertisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumq; sepultura traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tamdiu ossa eius concremanit, quousq; omne sepulchrum consumeret, & terra, qua in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet Omnipotens Dns faciens, ostendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoq; hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est: quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima viuens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

V. Quod etiam aliàs sæpe est demonstratum. Ut enim illud Luc. 16. 22. confirmaretur: Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno: audi piû scriptorem: Tempore quodam Suenis quibusdam peregrinationis gratia profectis Ierosulymam, cum in reditu nauigarent iuxta montem Vulcanum, cuius perpetua sunt incendia, vocem huiusmodi de illo reuouerunt; Bene veniat, bene veniat amicus noster Schulsetus de Kolmere: frigus est, ignem ei copiosum preparate. Illi personam cognoscentes, diem & horam notauerunt, & cum ad propria redissent: eundem Schulsetum, die & hora eadem, defunctum repperunt. Subjungit idem author & istud. Alio tempore quidam Flamingi, cum mare transirent de eodem monte Vulcano vocem huiusmodi audierunt. Bonus amicus noster Siwardus hic venit, suscipite illum; qui cum multo stridore missus est in Vulcanum: nam & ipse Schulsetus fuerat in Leggenich. Illi notantes tempus, & nomen persona, reuersi villam jam dictam intrauerunt, & cum de Schulteto requirerent, eum eadem die & horâ, quâ vocem audierunt in mari, obijisse repperunt: nam & ipse homo pessimus erat, sicut & superior.

VI.

Qualiscumque sit corporis tumulus, certè anima miserima in inferno sepelitur. Aliquando autem diuina iustitia, ad

terro-

terrorem impiorum, finit nonnullos etiam viuos, hoc est, corpus & animam simul terrâ obrui. Cuius horribile exemplum fuerunt Core, Dathan, Abiron, & Hon, *Aliq, filiorum Israel*, Num. 16. 2; *ducenti quinquaginta viri proceres synagoga, & qui tempore concilij per nomina vocabantur. Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniversa substantia eorum. descenderunt q, viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis, &c.* Cur hoc non faceret Deus vitæ author hostibus suis, cum id fecerit femina marito suo, immò Imperatrix Imperatori? Nam Zeno Imperator Orientis, vt scribit Zonaras, gulæ & ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, vt prolapsus à mortuo nihil differret. Cùm verò ipsi etiam coniugi Ariadnæ inuisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa coniectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito, factusque sobrius inter lamentationes & eiulatus misera, & horrenda morte extinctus est, cùm Ariadna prohiberet, ne quis monumentum aperires, aut illum curaret. Censuit hoc vxor, immò fecit hoc ipse Imperator, vt se ipsum vino toties sepeliret, cur talem pessimis quibusque sepulturam non decerneret Deus? Apud Poëtas, Amphiarus vates, dum apud Thebas præliaretur, canitur repentino terræ hiatu, cum curru, cui insidebat, absorptus esse. Hinc Ouidius:

Notus humi mersis Amphiarus equis. Ouid. lib. 3.

Et Propertius. *Delapsis nusquam est Amphiarus equis.* de Ponto.

Quòd si hæc fabula est, certè historia est, quod de Core, VII. Dathan Abiron, & Hon, paulò prius memorauimus, & quod Liu. lib. 17.

Pragæ in monte Albano refertur contigisse impiæ illi Trahomiæ, cuius grauitatem sceleris mons ipse non potuit sustinere, qui eam repentino hiatu, velut rictu aperto, deuorauit. Quid, quòd nonnulli se ipsos sponte ita sepeliuere? Romæ, cùm ingens vorago paulatim excreveret, & terram absumeret, responsum est ab oraculo, hiatum non posse desinere, nisi quis intrò se demitteret. Quo responso intellecto Q. Curtius equo insidens illuc desiliit, viuens in infernum. Cuius id culpa accidit? nonnè illius temeritate potiùs, quàm fortitudine? Quod etiam fecit

Ioan. Zonara
tom. 1. Annal.

Ouid. lib. 3.
de Ponto.
VII.

Liu. lib. 17.

Vide Plu-
tarch. in Nu-
ma. Dionys.
lib. II. Lipsiū
in tractatu de
Vestal.

Caesarius
Heisterb. Il-
lustrium mi-
rac. lib. 6.
cap. 23.

fecit Anchorus Midæ regis filius, & Torquatus, qui se sponte obtulit, quando ab oraculo responsum est, Romanos fore contra Pyrrhum Epirotarum regem victores, si quis eorum in voragine se demitteret. Quare oraculum tale editum. Decepti isti pro patria se facere putauerunt, quod in exitium suum fecerunt; illi autem, qui vitiatas Vestales Virgines viuas terrâ obruerunt, in detestationem libidinis, honoremque falsæ Religionis. Ex amore autem, iustitia, odioq; perjurij & fraudis, Philippus rex Franciæ, de quo iuvat historiam, uti traditur, verbatim hinc adscribere. *Habebat hic rex, in civitate Parisiensi Prapositum, qui cuiusdam sui conciniv vineam concupiscens, ut sibi venderet illam, importune nimis instabat. Respondente civie, sicut Naboth respondisse legitur Achab Regi Israël; Vinit Dominus, quia non vendam tibi patrum meorum hereditatem, eò quòd nulla ad hoc me compellat necessitas, Prapositus minas intulit; sed non profecit. Contigit interim, ut homo moreretur, quo cognito, Prapositus effectus hilarior, huiusmodi dolos, sicut homo astutus nimis, ad suam perniciem excogitavit. Duos siquidem ex Scabinis, ut sibi testimonium falsitatis ferrent, pecunia corrupit, cum quibus, sicut condictum fuerat, mox in tempesta nocte, defuncti sepulchrum adiit, terraq; ejecta in fossam descendit, & sacculum pecunia, quam viro pro vinea obtulerat, in manu ponens mortui, ait: Testes estis vos domini, quòd tantam pecuniam homini isti pro vinea sua tali dederim, quam ipse quidem, ut vos videtis, manu suâ accipit, nec aliquid contradicit. Dicentibus illis, Testes sumus, mox recepit pecuniam, & rejecit terram. Manè testibus eisdem adhibitis, vineam sibi vendicavit. Quòd cum relicta defuncti didicisset, stupens accurrit, & contradixit, asserens neq; maritum, neq; se vineam illam Praposito vendidisse, neq; umquam pecunia aliquid pro ea recepisse. Cui ille respondit; Ego tanto vineam comparavi, pecuniam sub testimonio horum Scabinorum in manus viri tui posui, nec contradixit. Qua se videns nihil proficere, ad regem accurrit, de violentia Prapositi illi conquerens. Illo sub prapositorum testimonij contradicente, Rex, quia audientia vacare non poterat, quibusdam causam commisit: qui testimonio Scabinorum decepti, in partem Prapositi declinantes, pro eo contra viduam dedere sententiam. Tunc illa amplius turbata, cum Regi clamoris fletibus nimis esset im-*

portuna,

portuna, Rex Testes vocari iussit, & quia vir prudens fuit, prudenter illos examinavit, accito prius uno, & solus loquens cum solo, ait; Nosti Dominicam Orationem? Respondente illo; Nons Domine, subjunxit Rex; Dic ergo illam, me audiente, quod cum fecisset, nihil aliud ei loquens, precepit, ut in vicinam cameram secederet, & advocans alterum, severius eum allocutus est, dicens; socius tuus de vinea illa tam meram mihi retulit veritatem, sicut est sanctum Pater noster, quo nihil est verius. Quòd si ab eo discordaveris, punieris. Estimans ille, quia Regi omnia dixisset, timens ac tremens ad pedes eius corruit, dicens; Misere mini nostri Domine, quia sic, & sic fecimus, à Præposito nostro inducti. Iratus rex valde, vineam vidua restituit, & Præpositum vinum sepeliri precepit. Iuste actum est, ut is sine misericordia infoderetur vivus, à quo inhumane mortuus fuerat effossus.

CAPVT LXVI.

Cur bonis meritò sepultura debeat? & qualis, aut à quibus, & quo modo, sit exhibitæ, vel exhibenda?



ICUT merentur improbi, ut vivi, ita probi, ut mortui sepeliantur. Hoc natura dicitur, quæ terram in terram reuocat, & ita prouidit, ut omnes regantur.

I.

Libera fortuna mors est; capit omnia tellus,

Lucan. lib. 7.
Pharsal.

Qua genuit, calo tegitur, qui non habet urnam.

Et Philosophus ait: Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sauitia projecit, dies condet. Quamobrem etiam disertè Mæcenas ait:

Senec. ep. 91.

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Itaque si homines desint, qui cadauer efferant; si desint vespiliones, qui sepeliant; si non adsint aues, qui oculos effodiant; si nullæ sint bestię, quæ in ventrem condant defunctum; ipsa natura officium facit, & quod olim rogi solebat, exequitur, corpusque in tabem, ac tandem in terram resoluit. Apud omnes populos natura hanc induxit opinionem, ut mortui aliquo tandem modo sepeliantur. Sed quid singulorum opiniones animaduertam, ait Cicero, nationum varios errores perspicere cum liceat? Condiunt Egyptij mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera

Cic. lib. 1.
Tuscul. 99.

X x x

circum-